IULIJ PACIJ A BERIGA I.C. ... DE DOMINIO MARIS HADRIATICI DISCEPTATIO

Giulio Pace

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. NUELE
13
6 C
4
M
13.9.9.31

A 111 0 131 f

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLII PACII
A BERIGA I. C.
REGII CONSILIARII,
ET IVRIS EX PRIMA SEDE
in illuſtri Valentina Aca-
demia Profeſſoris.

De dominio maris Hadriatici Diſceptatio.



LVGDVNI,
Sumptibus Bartholomæi Vincentij.

M. DC. XIX.
Cum Priuilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET NOBILISSIMO D. D. CLAVDIO FRERE, DOMINO de Montfort, Beaumont, Babbieres, Pelaffol, & Fianſaies, Chriſtianiſsimi Regis in ſecretioribus conſiliario, & ſupremi Senatus Delphinalis Principi, Domino & patrono ſuo plurimum colendo.

IVL. PACIVS S. D.

QVEMADMODVM mare tranquillum, & aër ſerenus eſt, niſi ventis turbentur & commoueantur: ita principes & reſpublicæ pace & quiete fruuntur; niſi illos aſſentatores; has demagogi, ſpecie publici boni ſuas cupiditates

Digitized by Google

tegentes, ad diſcordias & bella, quæ plerumque ſuis auctoribus nocent, callidè impellant. Tales conſiliarios habuit Salomonis filius: quorum ſententiam ſecutus, magna ſui regni parte excidit. Tales Perſeus: quibus acceptò ferendum eſt, quòd potentiſsimus Rex in miſerrimam ſeruitutem abductus fuit; eiuſmodi homines Athenas, Carthaginem, aliaſque florentiſsimas reſpublicas peſſum dederunt. Similia exempla ſunt innumerabilia, quæ referre nihil attinet. In horum hodie numero mihi videntur eſſe, qui maris Hadriatici dominium à ſereniſsima Repub. Veneta, penes quam ante hominum memoriam, vel iuris Doctoribus teſtibus, reperitur, ad ſereniſsimum Regem Neapolitanum inanibus argumentationibus transferre conatur. Quorum nonnulli videntur hac ratione dignitates, alij reſtitutionem in ſtatum priſtinum, vtrique opes & principum fauorem captare; & in hunc finem legibus ac rationibus abuti, vt moueant, quod bene poſitum eſt, aut ſaltem rem certam in dubium reuocent. Cum igitur hi ſibi licere putarint iura ad ſuas opiniones inflectere, & veritati tenebras offundere: multò magis mihi ſacra Themidos ferenti permittendum eſt, vt falſis interpretationibus reiectis, fallacibus argumentis ſolutis, & receptiſsima Doctorũ ſententia propugnata, veritatem non ſ

Demo

Digitized by Google

Democriti puteo eruam, ſed ex conſpicua doctrina, quæ ſecundum Imperatorem eſt mundi lumen; illuſtrem. Quod quidem ſi hoc opuſculo præſtiti: id ipſum eſt, quod volui. ſin minùs, fortaſſe alij iuris publici peritiores, aut ſponte ſua, aut meo exemplo, operam hac in parte ſuam reipublicæ vtilius nauabunt. Quorum gloriæ tantum abeſt vt ſim inuiſurus, vt inde ſummam animi voluptatem me percepturum profitear: facile enim contingere potuit, vt meum in priuato potiſſimum iure verſati opus materia debilitauerit. Studium certè meum, & pacis concordiæque communis deſiderium me bonis omnis probaturum confido: Tibi in primis, Protopræſes Ampliſſime & ſapientiſſime: cuius iudicium mihi inſtar omnium eſt. Quis enim, quod Tu probes, reiicere audeat? Quem incorrupta integritas, acutiſſimum ingenium, ſingularis pietas, ſumma prudentia, exactiſſima iuris cognitio, quas virtutes & Galli & exteri omnes in Te meritò ſuſpiciunt & admirantur; Rex autem Chriſtianiſſimus & probè nouit, & re ipſa in negotiis maximè arduis eſt expertus, ad altiſſimum honoris gradum euexerunt. Hæc igitur noſtra diſceptatio, ſi minùs auctoris nomine, ſaltem materiæ præſtantia & dignitate Tibi (ni fallor) commendata eſſe debet. Sed & auctori Tuæ Dignitatis ſtudioſiſſimo fortaſſe da-

Digitized by Google

bis, vt quem tua auctoritate fouiſti, promouiſti, ornaſti; eius opus in tutelam & patrocinium tuum recipias. Quod vt facias, atque hoc meæ erga Te obſeruantiæ pignus & monumentum eſſe velis, etiam atque etiam ſupplex rogo. Deus Optimus Maximus Te Christianiſſimo Regi, Delphinali prouinciæ, totique regno Gallico quàm diutiſſimè beatum ac florentem conſeruet. Valentiæ Cauarum, XII. Kal. Februarias, Anno reparatæ ſalutis CIↃ IↃC XIX.

IACOBI SANNAZARII
Patritij Neapolitani

EPIGRAMMA.

VIderat Hadriaticis Venetam Neptunus in vndis
  Stare vrbem & toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias, quantum vis, Iupiter, arces
  Obiice, & illa tui mænia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aſpice vtramque:
  Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Sonetti in lode di VENETIA, Tolto dal Latino di ſopra ſcritto.

I.

POichè vide Nettuno, quaſi in terra,
* Fondata, ſtar* VENETIA *in mezzo l'onde*
* De l'Adria, ch' indi piglia, non altronde,*
* Freno, leggi, e couſtumi, in pace, e in guerra.*
E ſe 'l tempio di Giano s'apre, ò ſerra,
* Vſcir da quelle à Dio dilette ſponde,*
* Di giuſtitia e valor ricche e feconde,*
* Chi doma gli empi, e gl' inimici atterra:*
Riuolto à Gioue diſſe, Hor tu la fama
* De la terra di Marte, & i trofei*
* Pregia, e loda, ſe vuoi, quant' egli brama.*

Digitized by Google

Non però 'l Tebro ai mar preponer dei:
Le due città chiunque mira, eſclama,
Quella gli huomini fer, queſta gli Dei.

II.

L'iſola ſacra al figlio di Latona,
Pria chè ferma nel mal poteſſe ſtare;
Dal furor d'Eolo fu coſtretta errare
Lungo tempo, ſe'l ver la fama ſuona:
E la città, che vinſe ogni corona,
Volſe di Marte il gran figliuol fondare
Sopr' erti colli, aſſai lungi dal mare,
Più temendo Nettuno, chè Bellona.
Ma quella, ch' in ſuo ſeno l'Adria accolſe,
Via più d'ogni altra, che ſia ſotto 'l cielo,
Stabile, in acqua i fondamenti inuolſe.
Nè mai contrario vento al caldo, ò al gelo
Dal ſuo ſtato premier la ſmoſſe, ò tolſe.
Ceda dunqua à VENETIA *e Roma, e Delo.*

III.

Quando à quella città gli occhi riuolgo,
D'ogni vera virtù felice albergo,
Che del mar ſiede ſopra 'l mobil tergo,
Merauiglia d'ogn'vn, non pur del volgo:
D'ogni baſſo penſiero allhor mi ſciolgo,
Con l'ali del deſir fin' al ciel m'ergo,
Et, onde poſcia mille carte vergo,
Diuini alti concetti aduno, e colgo.
Babel ſi vanta di ſuperbe mura:
Sparta, chè tal difeſa ſtimò vile:
Altre città ſon d'altre lodi eſſempio.
Il celeſte fauor rende ſicura
VENETIA, *cui non vedo altra ſimile:*
Tutte l'altre ſon terre: queſta è vn tempio.

G. P.

IVLII

IVLII PACII A BERIGA I. C. REGII CONSILIARII, ET EX PRIMA ſede in Illuſtri Academia Valentina Iuris Profeſſoris diſceptatio de dominio maris Hadriatici.

PARS PRIMA.

DICTVRVS de dominio maris Hadriatici, vt appareat quid ſit de quo quæritur, quædam initio præmunienda cenſeo, quibus via quodammodò ſternatur ad veritatem faciliùs inueniendam.

Præmitto primò cùm multa ſint maria, non eſſe de vniuerſo, nec de quocumque mari quæſtionem, ſed de mari Hadriatico dumtaxat, quod ſermone vernaculo vocatur golfo di Venetia. Sed vt omnis homonymia vitetur, obſeruandum eſt, non vno modo accipi mare Hadriaticum. Vt enim ait Apollonij ſcholiaſtes lib. 4.

Argonaut. quoniam Hadriaticum Ionio coniungitur, interdum κατὰ μετάδοσιν τοῦ ὀνόματος Hadriaticum vocatur Ionium, & viciſſim Ionium appellatur Hadriaticum. Idem notat Dionyſij ſcholiaſtes, & addit eos exactiùs & accuratiùs loqui, qui Ionium faciunt partem Hadriatici: quos ſecutus videtur Mercator in ſuis tabulis Ptolemaicis. E contrario Sulpicius in 3. Lucã. tres maris Ionij partes facit, Hadriaticum, Achaicum, & Epiroticum. Secundum Ptolem. lib. 3. Geograph. cap. 1. fines ſinus Hadriatici ſunt à flumine Tilauempto, quod ab occaſu influit in hunc ſinum, per Septentrionem vſque ad montem Garganum, & per Orientem à monte Gargano Hydruntem vſque: quæ vrbs hodie vocatur *Otranto*, & è regione ab altera ſinus parte oppoſitum habet Oricum Epiri vrbem, quæ hodie appellatur *Velona*. Ergo hic tractus ab vrbe Veneta Otrantum & Velonam vſque, vocatur mare Hadriaticum, vel Hadrianum, vel Hadriacum, & ſinus Hadriaticus, ſiue Hadria, & mare ſuperum, & ab Apollonio Saturnium, ſiue Chronium, hodie dicitur mare Venetum, ſeu *golfo di Venetia*: vt apparet ex variis deſcriptionibus ſeu tabulis geographicis, in quibus promiſcuè his appellationibus, mare Hadriaticum vel ſinus Hadriaticus, mare Venetum, *golfo di Venetia*, modò coniunctim, modò ſeparatim notatur. Myritius parte 2. operis geographici, cap. 7. *Hadriatico*, inquit, *mari*, *quod nunc Venetum vocant*, *olim à Romanis ſuperum vocabatur.* Ortelius in Synonymis Geograph. *Hadriaticus ſinus*, *vel Hadriaticũ*

mare,

mare, hodie golfo di Venetia. Georg. Meru. in deſcriptione Piceni, *Golfo di Venètia, olim Hadriaticus ſinus.* Boccacius de marj, *Venetum mare, id eſt, quod Hadriaticum diximus.*

Præmitto ſecundò dominium eſſe verbum homonymum: aliud enim eſt dominium ratione iuriſdictionis & protectionis, quod Doct. vocant dominium vniuerſale vel ſuperioritatem, quale eſt, quod princeps habet in rebus ſingulorum: aliud ratione proprietatis, quod dominium particulare appellant, atque hoc in rebus priuatis attribuitur ſingulis, non principi, ſecundum communem ferè omnium & veriſſimam ſententiam. glo. & Barto. in l. 2. C. in quib. cauſ. colo. cenſ. dom. accuſ. poſſ. Bar. in l. 1. §. per hanc. D. de rei vindic. & in 1. conſt. Digeſtorum: num. 3. & in extrau. ad reprimendum in ver. totius orbis. Odofr. in d. Conſtit. num 5. & in l. ſancimus. C. de conſul. libr. 12. Bald. in l. proprietatis. num. 1. C. de probat. Iaſ. in l. poſſideri. §. ex contrario. n. 81. D. de acquir. poſſeſſ. Fulgo. in d. conſtit. 1. num. 7. Lucas de Penna in l. cùm neque. C. de incol. lib. 10. Damhoud. in ſua pract. crim. cap. 82. num. 79. & 114. put. lib. 2. deciſ. 323. n. 4. Martin. Lauden. in tract. de princip. quæſt. 47. 88. 301. Vaco. lib. 3. declaratio. cap. 49. num. 14. Coſtal. in l. item verberatum. num. 5. D. de rei vindic. Peregrin. de iu. fiſ. lib. 1. tit. 2. nu. 40. Petrus de Gregor. de conceſſ. feudi, par. 2. q. 7. num. 22. 23. Sonsbec. de feu. par. 13. num. 64. Gail. de pace publ. c. 11. n. 4. & 5. vbi citat verba Senecæ ſic ſcribentis, *Ad reges poteſtas omnium pertinet, ad ſin-*

gulos proprietas. Et paulò pòſt, *Quemadmodum ſub optimo rege omnia rex imperio poſſidet, ſinguli dominio: omnia ſunt in imperio Cæſaris, in patrimonio proprio.* His duabus dominij ſpeciebus tertiam addit Couarru. in reg. peccatum. par. 2. §. 9. num. 8. in 6. nempe dominium locorum ad vniuerſitatem pertinentium iure vniuerſitatis. Quartam adiungit Alciatus in l. in ſuis. num. 21. D. de lib. & poſtum. nimirũ ſuperioritatem, qua ciuitates, vel fœderati promittunt principis alicuius maieſtatem obſeruare, de quo citat. tex. in l. non dubito. D. de captiu. & in C. Imperialem. circa prin. & in §. illud quoque. de prohib. feud. alien. per Frideric. & in Clem. paſtoralis. §. rurſus. de re iudi. Sed in præſentia ſermo inſtitutus eſt de dominio vniuerſali iuriſdictionis & protectionis.

Præmitto tertiò dominium iuriſdictionis duplex eſſe, alterum directum & principale, quod ei competit, qui ſuperiorem non recognoſcit, vt Imperatori: alterũ inferius, quod ſuperiorem adgnoſcentibus tribuitur. Auth. ſi verò. C. de hæret. Exempli causâ, ciuitas Vicentina habet hanc inferiorem poteſtatem in pagos ſibi ſubiectos, ad quos regendos ſolet Vicarios mittere. Sed in iiſdẽ pagis, vt & in vrbe Vicen. ſupremum dominium habet Sereniſſima Reſpublica Veneta. Hos, qui iuriſdictionem ſubalternam habent, Philippus reſp. 50. vocat dominos iuriſdictionales, eóſque veteribus putat fuiſſe incognitos. reſpon. 39. num. 1. 2. 11. 26. 27. Tria igitur ſunt dominij genera: ſupremum, quod eſt principis non recognoſcentis ſuperiorem: ſubalternum quod

Digitized by Google

quod eſt recognoſcentium ſuperiorem principem: & particulare priuatorũ hominum. Vacon. à Vac. lib. 3. declarat. cap. 48. num. 12. Sed noſtra quæſtio de dominio principali & ſupremo: quia Sereniſſima Reſpub. Veneta ſuperiorem non adgnoſcit, vt poſteriùs oſtendam.

Præmitto quartò tria eſſe dominij genera, quæ principi conueniunt præter ſuperioritatem illam Alciaticam, de qua ſuprà. I. Dominium vniuerſale, de quo ſuprà dixi; & de eo eſt tex. in l. 1. C. de ſumm. trinit. l. deprecatio. D. de le. Rhod. & extrauag. ad reprimendum. II. Dominium fiſcale. III. Dominiũ patrimoniale. de quibus duobus ſolis loquitur Imperator in l. bene à Zenone. C. de quad. præſc. vbi non dicit ſimpliciter omnia eſſe principis vt multi exponunt committentes fallaciam παρὰ τὸ ἁπλῶς ἢ κατά τι, ſed limitatè ait omnia tam fiſcalia quàm patrimonialia æquè principis eſſe. Noſtra autem quæſtio eſt de primo illo dominij genere. nemo enim vnquàm dixit mare eſſe in alicuius principis fiſco, vel patrimonio priuato.

Præmitto quintò in mari, & littoribus maris tria ſpectari, proprietatem, vſum, iuriſdictionem. Proprietas eſt nullius: vſus eſt communis omnium hominum: iuriſdictio eſt principis. §. & quidem. & ibi glo. in ver. communia: & §. litorum. Inſtit. de rer. diuiſ. l. 2. & ibi. Bald. D. eod. l. litora. & ibi glo. in verb. arbitror. D. ne quid in lo. pub. l. iniuriarum. §. ſi quis me. D. de iniur. Zuar. conſ. 1. de vſu maris, num. 9. Peregr. de iu. fiſ. tit. 1. num. 17. Ac de vſu quidem, & proprietate nulla eſt con-

trouerſia:ſed de iuriſdictione quæſtio eſt.

His præmunitis,apparet titulus quæſtionis, vt ſcholaſtici loquuntur.noſtra enim diſceptatio eſt de vniuerſali dominio ſeu iuriſdictione maris Hadriatici: de quo tria in quæſtionem veniunt. I. An ſit Reipublicæ Venetæ. II. Si eius ſit,quo iure ad eam pertineat. III. Qui ſint huius dominij effectus. Quarum deciſio vt certior ſit, & ne diſputatio in progreſſu interrumpatur, alia tria, præter ſupra dicta, ſunt præmunienda.

Præmitto igitur ſextò Imperatorem ſecundum pleroſque Doctores eſſe dominum totius orbis in temporalibus, & tam maris,quàm terræ,dominio ſcilicèt vniuerſali,de quo eſt ſermo nobis inſtitutus, & iuriſdictione, non dominio particulari. quoſdam autem principes & ciuitates fatentur eſſe exemptos vel priuilegio, vel præſcriptione, vel de facto:vt Reges Franciæ, Angliæ,Hiſpaniæ.ita Bart.in l.hoſtes. D. de captiu.& in l.2. num.2.C. in quib. cauſ. colo.& in l. 1. §. hanc actionem num. 2.D.de rei vindic. & in conſt.1. Digeſtorum. nu. 3. & nu.11.& in l.ſi duas.§.grammatica.num. 2. D.de excuſat.& in extrauag.ad reprimendum. in ver. totius orbis. quem plurimi ſecuti ſunt, vt Bald.in.l.deprecatio. num. 1.D.de lege Rhod.in l. bene à Zenone. nu. 2. C. de quadriennij præſcript. Caſtren.ind. l.2.deprecatio. num. 6. & in l. ſi heredis num.3. D. de legat. 1. & in l.1. num.2. C. de ſum.Trinit.Iaſ. in ead. l.1.num.22. & in l. poſſideri. §. ex contrario. num. 81. C. de acquir. poſſeſſ. Panormit. conſil.6.num.2.Vol.2.& in C. quæ in eccleſiarum num.

11.

et. 11. de conſtit. Bart. Soci. in l. 1. in pr. in 1. lect. num. 26. D. de acquir. poſſeſſ. Soci. iuni. in ead. l. 1. num. 134. Curt. iun. in l. 1. num. 108. D. de iuriſdict. Corſet. in repet. c. grandi. num. 90. de ſupplen. negle. præſ. in 6. Bologn. in auth. habita. col. 24. C. ne filius pro patre. Signor. de Homo d. & Ioha. Bapt. de Cauia lupis. in l. 1. C. de ſum. Trinit. & alij plures, quos referre longum eſſet. hanc enim ſententiam receptiſſimam eſſe teſtatur Reſtaur. de Imperatore, q. 51. relatus à Menochio in 2. reſpon. cauſ. Finar. num. 3. Vaſquius quoque Illuſtr. controu. c. 20. communem dicit. tamen vltimo ſic concludit, *Ad hanc tamen tot ſunt qui teneant contrarium, quòd mihi non ſatis certum eſt vtra pars receptior ſit*, vt refert Ioh. Fichar. in addit. ad Ioha. Baptiſt. à Villalob. in lit. P. num. 298. Sanè eam ſententiam validiſſimè refutat Couarr. in reg. peccatum. de regul. iur. in 6. par. 2. §. 9. & alij relati à Menoc. in d. reſpon. num. 98. & ſeq. & præter eos Coraſ. in d. d. l. 1 C. de ſumma Trinit. in ver. quos. Nos huic poſteriori ſententiæ contra Bart. & eius ſectatores, tamquàm veriſſimæ & certiſſimæ ſubſcribimus, non adhibita accuratiori diſputatione: cùm quia aduerſarij, contra quos diſputamus de dominio maris Hadriatici, idem ſentiunt: tum etiam quia omnes in eo conſentiunt, Rempublicam Venetam vt alias quaſdam reſpublicas, & alios quoſdam principes à poteſtate Imperatoris exemptos eſſe: quamquàm alij hoc eſſe dicant, quia ædificata eſt in mari, alij priuilegio, alij conſuetudine vel præſcriptione. Bald. in rubr. D. de rer. diuiſ. nu. 8. Mart.

Laud.

Laud. de priuileg.& reſcr.q.9.Cæpo. de ſeruit. ruſt. cap. 26. de mari & cap. 27. de litore maris. & in l. eum qui vectigal. num. 2. & 16. & in l. ſeq. num.9. D. de verb. ſignif. Rip.in l. ſi inſulam. num.22.D. de verbor. obligat. Bertach. de gabel. part. 1. q.6. Caſtrenſ. in l. ex hoc iure. num. 5.D. de iuſti. & iu. Iaſ. ibi. num. 27.Menoch. in d. reſpon. num. 63. Gabriel. de acquir. rer. domin. concluſ.3. num. 10. & 11. cum aliis, quos ibi allegat. Cùm autem de effectu conſtat, quæſtio de iure omitti poteſt, exemplo Scæuolæ in l. Gallus, §. ſi eius. D. de liber. & poſtum.

Præmitto ſeptimò, cùm eorum, qui non ſunt Imperatori ſubiecti, alij nec ſint, nec fuerint vnquàm ſubiecti, vt Parthi, Perſæ, Poloni; alij aliquando fuerint, ſed eſſe deſierint, vt Gallia & Hiſpania; inclytam Venetiarum ciuitatem in illarum numero eſſe, quæ numquam imperio ſubditæ fuerunt. Vt enim ex hiſtoriis conſtat, Hunnis Italiam vaſtantibus, Veneti, vt eorum tyrannidem vitarent in lacunas maris Hadriatici ſeceſſerunt, ibíque vrbem felicibus auſpiciis (vt euentus oſtendit) condiderunt eo loci, qui ab Orientali Imperatore propter Barbarorum metum derelictus fuerat, & neque ab occidentali Imperatore vmquam fuit occupatus; nec à Barbaris illis oppreſſus. Ergo libera ciuitas eſt, non priuilegio, aut præſcriptione, ſed quia ædificata eſt in mari nullius iuriſdictioni tunc temporis ſubiecto, ſecundum Bal.in d.rubr.D.de rer.diuiſ.quem ſequuntur Aluar. in vſib. feud. tit. quis dicatur dux,

Mar

Marchio. num. 20. Iaſ. in l. 2. C. de ſum. Trin. num. 11. & in d. l. ex hoc iure. num. 26. D. de iuſt. & iu. Cæpo. de mari. num. 4. Franc. Marc. in deciſ. Delphin. par. 2. q. 10. num. 11. Si igitur Papa, aut Imperator priuilegium libertatis Venetis conceſſerunt, ius Venetorum aliquo modo videntur confirmaſſe, reuera tamen nihil noui iuris eis tribuerunt. Et ita accipere oportet fœdus ictum inter Nicephorum Orientis, & Carolum Occidentis Imperatores, in quo *nominatim expreßum, vt Veneti inter vtrumque Imperium poſiti, liberi atque immunes, & ab vtroque ſecuri viuerent, ac ſine moleſtia res ſuas in agro Italico poſſiderent*, vt ſcribit Sigo. lib. 4. de regnō Italiæ. Quatenus autem Domini Veneti poſſint conſuetudine ſeu præſcriptione ſe tueri, poſteriùs diſquiram. quod enim dicam de iuriſdictione & dominio maris Hadriatici, idem de libertate Veneta dici poteſt. vtriuſque enim eadem eſt ratio: & veriſſimè ſcripſit Cæpo. d. cap. de mari, num. 10. tantam iurisdictionem Venetos habere in mari, quantam in ciuitate Venetiarum: ſed hac de re infrà.

Vltimò præmitto quæſtiones propoſitas, non eſſe decidendas iure naturali: quia hoc iure, quod eſt omnibus animalib. commune. l. 1. §. pen. D. de iuſt. & iu. & Inſtit. de iure natur. in princ. omnia ſunt communia. c. ius naturale diſt. 1. dominiorum autem & imperiorum diſtinctio iure gentium introducta eſt. l. ex hoc iure. D. de iuſt. & iure. §. ius autem gentium. Inſtit. de iu. natur. C. ius gentium. diſtinct. 1. Rurſus non eſſe decidendas ex iure

ciuili Romano: quia cùm Reſpub. Veneta non ſit Imperio Romano ſubiecta, vt modò dictum eſt, certè non tenetur legibus Romanis, niſi quatenus propter earum æquitatem ſponte ſuas eas recipit, vt eaſdem recipiunt Potentiſſimi reges Galliarum & Hiſpaniarum, & vt olim Romani receperũt leges Athenienſium. Lacedæmoniorum, & Rhodiorum: aliàs leges Romanæ in Venetos non valent. Item non eſſe decidendas ex legibus Venetis: quia etſi Veneti ſuis legibus viuunt. Meno. libr. 4. præſcript. 28. num. 41. tamen his non poſſunt alias reſpublicas vel principes obligare, ſed tantùm ſuos ſubditos. Reſtat igitur, vt decidantur ex iure gentium, quod naturali ratione apud omnes gentes valet. §. 1. Inſtit. de iu. natur. & vt ſingularum rerum dominia, ita etiam regna, & imperia diſtinxit. d. l. ex hoc iure. D. de Iuſt. & Iu. d. §. ius autem gentium. Inſt. de iu. natur. Iure autem Romano eatenus in his quæſtionibus decidendis vtendum ſit, quatenus ius gentium eius pars eſt: ſi quidem ius Romanum in ſe naturalia & iuris gentium & iuris ciuilis præcepta continet d. l. 1. §. huius ſtudij. D. de iuſti. & iu. §. vlt. Inſtit. eod.

His præmunitis, tranſgredior ad dictas quæſtiones decidendas; vt appareat, an Sereniſſima Reſpub. Veneta ſit domina maris Hadriatici, & quo iure, & in quantum.

Quod ad primam quæſtionem attinet, omnes Doctores, qui vſque ad hæc tempora ſcripſerunt, vno ore teſtantur Dominos Venetos eſſe huius maris dominos.

Bar.

Digitized by Google

Bar. in l.iniuriarum.§. ſi quis me. D. de iniur. Bal. in l. ſi plures.num. 13. C. de condit. inſert. & in rubr. D. de rer. diuiſ.num.4.Addit. ad Bald. in l. quædam. D. eod. Angel. in l.vlt. D. de vſucap. & in d. l. iniuriarum.§. ſi quis me. & l.ſanè.num. 3. D.de iniur.Caſtren.in l. inſulæ. in 1. lect.num.3. D. de iudic. Io. de Anan. in c. 2. de cler. venat. Io.de Plat.in l.vſum.ver. item per hác.C.de aquæ d. lib.11. & in §. littorum. Inſtit. de rer.diuiſ.Cæpo. de ſeruit. tit. de mari,vbi dicit eos tantum habere iuriſdictionem in mari quantum in ciuitate Venetiarum, vt ſuprà retuli. & eius addit. in lit. a.Bertachi. in tract. de gabellis. par.1.q. 6. Salic.in l. 3. C. de naut.fœn. Ripa in l.ſi inſulam. num.22. D. de verb. oblig. Iaſ. in l. ex hoc iure. n.27 D.de iuſt.& iu. Areti.in §.& quidem Inſt.de re. diu. Balb. de præſc par.3.6.partis.q.6.Feli. in c. de quarta col. vlt. de præſcript. Marti.Laud.de principib.q.123.& q.355. Iohan.Baptiſta de Caccialup. in l.1. C.de ſumma Trinit. Straccha.de nauigatio. num.8. Schneid.in §. & quidem inſtit. de rer.diuiſ.Peregri.de iu.fi.tit.1.num. 18. Muſcorn de iuriſdict. nu. 129. Hoc adeo certum eſt, vt Ang. conſ. 220.dixerit non eſſe de hoc diſputandum,ne diſputatio veniat in deriſum. Nam Imperatore & omnibus aliis ſcientibus neque contradicentibus hoc iure Veneti ſunt vſi tempore immemoriali, vt notat idem Angel.in. d.l.ſanè. Quare non ſolùm Iuriſconſulti,ſed etiam alij auctores hoc ius Venetis tribuunt. Sanazar. lib. 1. epigram.

„ *Viderat Hadriaticis Venetam Neptunus in vndis*

„ *Stare vrbem, & tota ponere iura mari*,

Id eſt, mari Hadriatico, in cuius vndis dixit eam ſtare. Georgius Merula Geograph. par. 2. lib. 4. cap. 36. Venetiarum vrbem vocat Hadriatici reginam maris. Similiter Bellefore in addit. ad coſmograph. Munſteri eam appellat *Roine & Dame de la Mer*, Reginam & Dominam maris. *Cœpit enim rerum, quas ſumma laude felicitateque geſſerunt Veneti, gloria ab iis, qui mare infeſtum habebant: quibus claſſe ſæpe ſuperatis, & in poteſtatem redactis, inſulas cœperunt & nationes externas ſubegère*, vt idem Merula dicto loco ſcribit. Nec nouum eſt, vt aliquis populus claſſe potens in mari imperium exerceat, vt olim Rhodij teſte Strabone lib. 14. quam poteſtatem eis Romani non inuiderunt, immo ab eis legem, quæ dicitur Rhodia, ſumpſerunt: ídque ſignificauit Antoninus in l. deprecatio. D. de le. Rhod. vbi iubet rem diiudicari ſecundum legem maris, id eſt, legem Rhodiam. Quid ergo mirum, ſi Veneti, qui Rhodios in ſuam poteſtatem aliquando redegerunt, imperium in mare habeant?

Ad dictas auctoritates quidam reſpondent Doctores non tribuere Venetis iuriſdictionem, niſi in eorum mari, quod aiunt non protendi vltra Clodiam foſſam, quæ nunc appellatur *Chioggia*, & quod dicitur de mari Hadriatico, eſſe inuentum eorum, qui ſunt ſubditi & Vaſalli Venetorum.

Hanc reſponſionem eſſe omnino inanem oſtendo multis modis. I. Plerique ſuprà citati, qui expreſsè

men

mentionem faciunt maris Hadriatici, non ſunt imperio Veneto ſubditi: vt Bertachinus Firmanus, Ripa Papienſis, Schneideuinus Saxo, Staccha Anconitanus, Merula Batauus, II. Cùm Doct. ſpecialiter loquuntur de eo diſtrictu, in quo Venetiæ & Clodia foſſa ſitæ ſunt, vſque ad litus maris, vocát lacunas, ac diſtinguunt à mari: vt Salic. in l. 2. C. de nauti. fœno. Quare valde ridicula eſt interpretatio, qua mare Hadriaticum accipitur pro illis lacunis ſolis. III. Quia verba pro ſubiecto argumento debent accipi. l. ex conducto. §. Papinianus. D. loca. idcirco Doctores in materia propoſita pro eodem accipiunt mare & mare Hadriaticum, ſeu Venetum, & gulfum maris. Vnde quod aliquis de vno ex his dicit, alius eiuſdem ſententiam referens, alio verbo vtitur. Verbi gratia, Salicetus in l. 3. C. de naut. fœn. dicit Venetos habere deueta in mari. eius verò ſententiam referens Ripa in l. ſi inſulam. num. 22. D. de verb. oblig. dicit Venetos poſſe ſtatuere ſuper gabellis Hadriatici maris IV. Cũ Bar. & alij dicunt Venetos habere iuriſdictionem in eorum mari, vel in ſuo mari, certè perinde eſt, ac ſi dicerent in mari Venetorum, ſeu in mari Veneto. Quæ verba ſi intelligerentur, vt aduerſarius interpretatur, ineptiſſima locutio eſſet, & perinde valeret, ac ſi diceretur Venetos eſſe dominos eius cuius ſunt domini. Verùm hi Doctores ad nomen, quo hoc mare ſignificatur, reſpicientes aſſerunt Venetos eſſe dominos illius maris quod nunc Venetum, ſeu Venetorum & Gulfus Venetiarum, olim ſinus Ha-

Digitized by Google

driaticus dicebatur. V. Quod Bal. in rubr. D. de rer. diui. dicit de ſuo mari. & Sali. in l. 3. C. de naut. fœn. de mari, Ripa eorum ſententiam referens accipit de mari Hadriatico in l. inſulam. num. 22. D. de verb. oblig. Eandem igitur ſententiam alij de mari pronunciant, alij de mari Hadriatico, alij de gulfo maris, ſeu gulfo maris Hadriatici, alij de gulfo Veneto, ſeu Venetorum, diuerſis verbis eandem rem ſignificantibus. Hæc dicta ſint de prima quæſtione: ex quibus apparet Sereniſſimam Rempublicam Venetam eſſe dominam maris Hadriatici. Quod confirmatur ex eo, quòd Veneti quotannis anulo mare ſibi deſponſant, vt præter alios ſcribit Gorop. lib. 9. quoniam princeps eſt maritus reipublicæ, cum qua dicitur matrimonium morale contrahere. Lucas de Pen. in l. quicunque. C. de omni agro deſer. lib. 11.

Sequitur altera quæſtio, quo iure, & qua ratione hoc dominium ſit conſecuta. Doctores vulgò putant eam id præſcripſiſſe ſpatio temporis, cuius initij memoria nõ ñ extat, per l. vſum. & l. diligenter. iuncta. glo. C. de aquæduc. lib. 11. Angel. in l. vlt. D. de vſucap. & in l. iniuriarum. §. fi. D. de iniur. Io. de Plat. in d. l. vſum. Ioh. Bapt. de Caccialup. in l. 1. C. de ſum. Trinit. col. 1. Cæpo. de ſeruit. ruſtic. cap. de mari. Martin. Laudenſ. de principibus. q. 123. Addit. ad Bal. in l. quædam. D. de rer. diuiſ. Schneid. in §. & quidem. Inſtit. de rer. diuiſione. Cum hac autem præſcriptione dicunt concurrere tacitam conceſſionem principis, & ita acquiri ſimul præſcri-

ptio

Digitized by Google

ptione & priuilegio. Angel. in l. ſanè. D. de iniur. Ioha. de Ana. in c. 2. de cleric. venat. Martin. Lauden. de principibus q. 352. ſed Bart. dicit acquiri conſuetudine in d. l. iniuriarum. §. fi. cum l. ſeq. citatur tamen à Schneid. in dict. §. & quidem. quaſi loquatur de præſcriptione temporis immemorialis. Et Io. quoque de Anania videtur hæc duo pro eodem accipere in d. c. 2. nimirum quia licèt hæc inter ſe differant ſecundum Alexan. in l. more. n. 11. D. de iuriſdict. Areti. in §. ex non ſcripto. numer. 7. Inſtit. de iu. natur. & in §. flumina n. 5. de rer. diuiſ. Bal. in l. de quibus. num. 34. ff. de legib. & in l. cùm tanto. nume. 16. ex. de conſuetud. Iacob. de Sancto Georg. in l. de quibus. num. 26. & 28. D. de legib. Put. lib. 2. deciſ. 387. Hartman. de verb. ſignif. obſeru. 5. Rip. in l. quò minùs. n. 39. ff. de flumin. Balb. de præſcript. par. 1. q. 10. Couar. in reg. poſſeſſor malæ fidei, par. 2. §. 3. n. 2. de reg. iur. in 6. Graue de antiq. temp. par. 4. tit. 1. tamen hæc interdum confunduntur: nam conſuetudo accipitur quandoque pro præſcriptione. Panor. in c. abbate. num. 12. & in c. ſuper quibuſdam. num. 9. de verb. ſign. Conna. lib. 1. c. 10. num. 8. Couarru. in d. reg. poſſeſſor malæ fidei, par. 2. §. 3. nu. 2. de reg. iur. in 6. & in conſuetud. ineſt præſcriptio. Bal. in l. 1. num. 28. C. de furt. quæ quidem eſt de eſſentia conſuetudinis. Bal. in l. de quibus. num. 85. D. de legib. & dicitur præſcribi conſuetudo. Bal. ibi. num. 83. vel conſuetudine. Bar. in auth. de defenſ. ciu. §. iuſiurandum. num. 5. Iac. de Sancto Georg. in tract. de feud. in verb. ibi fluminibus nu. 2. Dicitur etiam interdum præ-

ſcriptio

Digitized by Google

ſcriptio habere adnexam cõſuetudinem. Balb. de præſcript. par.5. in p.num. 22. Denique eadem dici poteſt præſcriptio reſpectu eius qui ius ſuum tali præſcriptione amittit,& cõſuetudo reſpectu eorum qui nihil amittunt,vt ex Io. Andr.declarat.Io.Bapt.de Sancto Seuer.in repetit. l. imperium. q. 15. D. de iuriſdict. Vide Panor. in c. fi.de conſuet. & Balb. de præſcr. p.1. q. 10. princip. Imperij igitur in mare acquiſitio ſecundum Doctores referri poteſt ad præſcriptionem reſpectu Imperatoris cui aufertur, & ad conſuetudinem reſpectu nauigantium per mare. Item ad priuilegium, quia hæc præſcriptio, cùm ſit tanti temporis, cuius initij memoria non extat, vim habet tacitæ conceſſionis Cæſareæ & priuilegij. c. ſuper quibuſdam. §. præterea. de verb. ſignif. c. 1. de præſcript. libr.6. Cæpo. de ſeruit. vrba. prædior. cap.19 num.4.Bal in feu.in rubr.quæ ſint regal. num. 3. Math. de Afflic. ſuper prælud. Conſt. Neapol.q.3.nu.2. Ergo in ſumma Doctorum communiſſima ſententia eſt, Illuſtriſſimos Dominos Venetos habere imperium maris Hadriatici, illudque præſcripſiſſe lõgiſſimo tempore, cuius initij non eſt memoria: quæ præſcriptio dici etiam poteſt conſuetudo, vel diuerſo reſpectu, vel latè ſumpto præſcriptionis vocabulo: & vim habet priuilegij. Non tamen valde curarunt inquirere exactè verum acquiſitionis modum. vnde Sal. in d. l. 3. cap. de naut.fœn. dicit Venetos hoc ius habere, ex conſuetudine, vel ex conceſſione principis. Ang. d. conſ. 290. ex priuilegio & conceſſione Cæſarea, vel vſurpatione:

Digitized by Google

ne: vbi vſurpationem accipit pro vſu, vt in l. ſi ſtillicidij. §. 1. l. aqua. & l. aquam. D. quemad. ſeruit. amitt. vel pro frequenti vſu, vt in l. 2. D. de vſurp. & vſuc. Cùm enim hoc ſit omnibus notum, nec ſolùm nauigantibus per mare Hadriaticum, ſed etiam apud Maieſtatem Cæſaream, vt idem Ang. eod. conſ. teſtatur: minùs neceſſaria eſt quæſtio, quo iure hoc obtineat, vt in ſimili tradit Scęuola in l. Gallus. §. ſi eius. D. de lib. & poſtum.

Sed vt appareat, quid in hac quæſtione reuera ſentiendum ſit, repetendum eſt, quod ſuprà probaui, deciſionem ſumendam eſſe ex iure gentium, non ex iure Romano, niſi quatenus iuris gentium præcepta in ſe continet. Hoc poſito, dico Sereniſs. Remp. Venetam eſſe dominam maris Hadriatici per eius occupationem. Probatur hoc fieri poſſe, quia mare cùm ſit nullius, naturali ratione, proinde iure gentium conceditur occupanti, vt cetera quæ communia dicuntur. l. 3. in pr. D. de acquir. rer. domin. §. feræ. verſ. quod enim. Inſtit. de rer. diuiſ. glo. in §. & quidem. in ver. communia. Inſtit. eod. Probatur hoc factum eſſe per auctoritatem Doctorum ſuprà citatorum, præſertim Angeli in l. ſanè. D. de iniur. & in conſ. 290. quibus locis dicit hoc eſſe omnibus notum. Probatur etiam ex deſponſatione maris, quam Illuſtriſſimi Domini Veneti quotannis publicè faciunt & ante omnem memoriam fecerunt, præſentibus nec repugnantibus diuerſorum Principum Legatis.

Non obſtat, quod Bart. & eius ſectatores dicunt Im-

peratorem eſſe dominum totius Orbis: cùm quia hæc ſententia non eſt admittenda, & ab iis quoque, qui maris Hadriatici controuerſiam Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ faciunt, reiicitur, vt ſupra notaui: tum etiam quia licèt Imperator olim habuerit imperium in mare Hadriaticum, tamen (vt ex hiſtoriis patet) aduenientibus in Italiam Barbaris, illud amiſit, præſertim Atila Italiam & regiones illi mari vicinas vaſtante: quo tempore Veneti ſeceſſerunt in mare, ibi vrbem ædificarunt, & mare Hadriaticum ab Imperatore Conſtantinopolitano deſertum, ab Imperatore Occidentali numquam poſſeſſum occuparunt, ſtatim igitur eius maris dominium acquiſiuerunt: quoniam ſicut ea quę nullius ſunt, per ſupra allegata; ita etiam quę pro derelictis habentur, confeſtim fiunt occupantis. l.1.D. pro derelicto. Non potuit igitur Sereniſſima Reſpublica dominium acquirere pręſcriptione, quod iam occupatione acquiſierat: quia non poſſumus res noſtras pręſcribere, quemadmodum non poteſt pręſcribi, quod priuilegio acquiſitum eſt. Angel. in l. ſanè. num. j. D. de iniur. Io. de Anania in cap. 2. de cler. venat. quia dominium non poteſt acquiri ex pluribus cauſis. l. 3. §. ex plurimis. D. de acquirenda poſſeſſ. & quod noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poteſt. §. ſed ſi rem. Inſtit. de legat.

Si tamen præſcriptio ſpectetur, non vt modus acquirendi dominij, ſed tamquàm exceptio, quia præſcriptio idem eſt quod exceptio ſecundum Cuiac. in

rubr.

rubr. D. de exceptionib. Illuſtriſſimi Domini Veneti præſcriptione temporis immemorialis vti poſſunt ad repellendos eos, à quibus turbantur: quia per hanc longiſſimam poſſeſſionem conſecuti ſunt, vt non teneantur titulum acquiſitionis probare, l.3.§. ductus. D. de aqua. quotid. & æſtiu.& c.1.ex.de præſcript.in 6. Couarr. in reg.poſſeſſor malæ fidei par. 2.§.3. num. 7. & §.5. num.2. Hæc enim præſcriptio non requirit titulum, ſed vim habet tituli. Crauet de antiq.temp. par. 4.§.abſolutis differentiis. num. 9. Borchol.in c.vn. quæ ſint regal. num. 17. & dicitur inducere titulum. Theſaur. lib. 1.q.8. num. 11. & parere præſcriptionem iuris & de iure, contra quam non admittitur probatio. Crauet dicto loco, num. 60.Peregr. lib.1.de iu.fiſ.tit.2. num.65. cum aliis quos ibi allegant: quoniam æquipollet veritati, & pro veritate habetur. Borchol. dicto loco. Arnold. in verbo præſcriptio.nu.27. poſt plures alios, quos allegant.

Oſtendi dominium maris Hadriatici pertinere ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam, & quo iure ad eam pertineat:ſupereſt,vt proponam eius effectus, qui quidem ſunt quinque præcipui. I. Illuſtriſſimi Domini Veneti tenentur illud mare tutum & ſecurum reddere, & purgare à piratis. Bal. in l. fin. C. de capt.& in §. conuenticulas. num. 7. de pac. iur. fir. Alex. in l.ne quid.de incend.rui.naufr.& conſ. 88. num. 1. vol. 5. Iaco. de ſancto Georg. de feud. in verbo Marchio in Italia. verſ. quæritur etiam. num. 4. Zaſ. lib.2.conſ. 14.num. 9.

Digitized by Google

n. 14. & conſ. 15. num. 2. & 78. Vurmſ. lib. 1. tit. vlt. Obſeru. 5. Gail. lib. 6. obſ. 64. Mynſ. cent. 5. obſeru. 70. II. Debent ſubditos tueri, Rip. de peſte. ca. 1. num. 148. eorumque neceſſitatibus proſpicere. Barth. Soc. in l. 1. nu. 57. D. ſol. matrim. III. Poſſunt delinquentes in eo mari capere, & punire, tamquàm delinquentes in ſuo territorio. Caſtr. in l. inſulæ in 1. lect. num. 3. D. de iudic. & in l. deprecatio num. 6. D. de le. Rhod. & tota die hoc eos facere teſtatur Pe. Gerar. ſing. 15. eſt enim maris territorium, vt terræ. Cæpo. de mari. num. 26. c. vbi periculum. §. porrò. & ibi glo. & Docto. Canon. de elect. in 6. Zuar. conſ. 1. de vſu maris, num. 1. Doberci. in verbo mare. Arnold. in ver. territorium. n. 2. Petr. Gerar. d. ſing. 15. licèt quidam inter hæc diſtinguant, & propriè territorium in terra, diſtrictum in mari, diœceſim in eccleſiaſticis dici velint. Bal. in rubr. quæ ſunt regal. Iac. de Belu. in c. Romana. §. contrahentes. num. 4. de fo. compet. Sed vt cumque vocetur, nihil intereſt, cùm idem ſit effectus; quia leges rebus, non verbis imponuntur. l. 2. in fi. C. commu. de legat. IV. Poſſunt alios illac nauigare volentes prohibere ne ibi nauigent. l. ſanè. D. de iniur. vbi eſt caſus ſecundum Raym. de Fortiu. qui ponit exemplum in gulfo Venetorum, vt refert & eum ſequitur Iaſ. in l. quo minùs. num. 41. D. de flumin. Ang. conſ. 290. Ioan. de Anan. in cap. 2. de cler. venat. Feli. in c. de quarta. nu. 41. verſ. demum circa prædicta. de præſcript. Iaſ. in l. ex hoc iure. num. 27. D. de iuſtit. & iure. Balb. in tract. de præſcrip. tertia parte quintæ partis. q. 6. num. 6. Strac-

cha

Digitized by Google

cha de nauigat.num.8.V.Poſſunt nauigantibus vectiga-
lia,gabellas,& collectas imponere & augere, & contrà
facientes punire. Bal.in rub.D.de rer.diuiſ.num.5.Salic.
in l.3.C.de naut.fœno.& latè Bertach.in tractatu de ga-
bellis.par.1.q.6.num.19.& 20. Angel. in l.ſanè. num.3. D.
de iniur.& conſ.290. Ripa in l.ſi inſulam num.22. D.de
verb. oblig. Cœpo. de ſeruit. ruſtic. præd.c.26. de mari.
num.10.Schn.in §.& quidem.Inſtit.de rer. diuiſ.Peregr.
de iu.fiſ.tit.1.num.18.Martin.Laud.de principibus. q.351.
Io.de Ana.in c.2.de cleric.venat.

His ita comprobatis, operæ pretium eſt,priuſquàm
manum de tabula tollamus,eorum obiectionibus ſatis-
facere, qui nuper, exiſtimantes ſe Potentiſſimo Regi
Catholico, aut ſaltem Proregi Neapolitano gratificari,
aduerſus veteres auctores contrariam noſtræ ſenten-
tiam tuentur,nec verentur cum Angelo, ne eorum di-
putatio in deriſum abeat. Hi ſunt Io. Baptiſta Valen-
zuela Velaſquez conſ. 100. nu.55.& Anonymus quidam
in diſcurſu Italicè ſcripto, non edito. vtrique igitur reſ-
pondebimus.

Opponit primò Velaſquez,quòd ex Doctorum ſen-
tentia Dominus territorij mari coherentis, habet iuriſ-
dictionem in mari proximo vſque ad centum miliaria,
adeo vt mare ſit eiuſdem iuriſdictionis, cuius eſt terri-
torium adiacens:vnde colligitur iuriſdictio regis Nea-
politani in parte maris Hadriatici.

Reſpondeo primò hanc ſententiam de centum mi-
liaribus facilè poſſe refutari, ſi quis in veritatem ſeuerè

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

inquirere, & κατ᾽ ἀλήθειαν, ἢ κατὰ δόξαν. diſputare velit. ſicut enim non eſt omnium ciuitatum eadem magnitudo, ſed aliæ dicuntur minores, aliæ maiores, aliæ maximæ. l. 6. §. eſt autem. D. de excuſat. ita aliæ maius, aliæ minus territorium habent, vt omnibus notum eſt: & quædam magnæ ciuitates, exiguum habẽt territorium, vt Norimberga, Argentina, Geneua. Quòd ſi vrbs Roma centum miliarium territorium habet. l. 1. §. initio. D. de offic. præf. vrb. non propterea neceſſe eſt, vt aliæ quoque ciuitates tantumdem habeant. Et ſi ita eſt in terra, cur non ſimiliter in mari? Reſpondeo ſecundò, quod Doctores dicunt de centum miliaribus in mari, intelligendum eſſe de mari à nullo principe ſpecialiter occupato, & in his terminis loquitur Bart. in tract. de inſula. in ver. nullius, quem alij ſecuti ſunt; & apertiùs Cœpo. d. cap. de mari, num. 11. iam autem oſtendimus Sereniſſimam Rempublicam Venetam occupaſſe totum mare Hadriaticum, in quo tantam iuriſdictionem habet, quantam in ciuitate Venetiarum, vt ibid. notat Cœpo. num. 10. Reſpondeo tertiò, ſicut dominium particulare, quod habent priuati in rebus ſuis, non obſtat, quò minùs princeps habeat in eiſdem rebus dominium vniuerſale, vt probatum ſuprà fuit: ita ſi concedatur ciuitates mari proximas, habere in eo mari dominium: hoc erit dominium in ſpecie, non obſtans quò minùs Sereniſſima Reſpublica Veneta in eodem habeat dominium in genere, quod eſt dominium ſuperis. ita Bal. in l. pen. num. 13. C. de condit. inſert. Bertachi. de gabellis, par. 1.

queſt.

Digitized by Google

quæſt.6. num. 20. Add.ad Cœpo. de mari in lit. A. Siue igitur legum veritatem, ſiue Doctorum auctoritatem ſpectemus, dominium Venetum in mari Veneto inconcuſſum manet.

Opponit ſecundò, quòd mare iure naturali eſt omnium commune. §.1. Inſtit. de rer. diuiſ. l.2. D. eod. ergo nauigatio libera omnibus eſſe debet. Reſpondeo primò litora quoque eſſe communia, ſicut mare. dictis iuribus. Quemadmodum igitur communio litorum reſtringitur ad populum à quo occupata ſunt. l.3. §. litora. D. ne quid in lo. publi. ita etiam communio maris: adeo vt per mare à nemine occupatum nauigatio ſit omnino libera: per mare autem occupatum ab aliquo principe (hoc verbo etiam reſpublicas complector) ij. liberam habeant nauigationem, qui ſunt illi principi ſubiecti: alij verò eatenus habeant, quatenus idem princeps eis permittit. Reſpondeo ſecundò libertatem nauigandi non tollere ius exigendi vectigalia & gabellas. ſicut enim in terra liberum eſt ire, & merces deferre per vias publicas, & per flumina publica, ſaluo iure vectigalium, quæ principi debentur, vt loca tuta & ſecura conſeruet: ita etiam in mari ſe res habet.

Opponit tertiò auctoritatem Franc. Marci. quæſt. Delphin. 110. num. 11. par. 2. dicentis, quòd licèt Veneti, quia ædificarunt in mari, prætendant ſe eſſe in libertate, non tamen ex eo debet ab eis, aliis impediri nauigatio, ſtatio, & portus. Reſpondeo primò, quòd ſi Marcus hoc diceret, eius auctoritas plurium & maioris famæ Iure-

con

Digitized by Google

conſultorum ſuprà citatorum cederet. Reſpondeo ſecundò verba Marci in hac oppoſitione malè accipi. Nam reuera contra Venetos nihil dicit. Quod vt liquidò appareat, notetur Marcum primò ponere hanc theſim, quòd *licitum eſt ædificare in mari, vel litore: & efficitur incontinenti ſuum, ex quo pilas iactauit. l. ergo. §. fi. D. de acquir. rer. dom. nec requiritur perfectio operis. l. 2. §. aduerſus. D. ne quid in lo. publi.* Inde infert concluſionem. *Et ideo Veneti ædificauerunt in mari, quod eſt iuris gentium, & ſe prætendunt in libertate.* Poſtea eidem theſi adiungit limitationem, *dum tamen non impediatur nauigatio, ſtatio, portus*, quæ verba ſunt referenda ad theſim, non ad corollarium. Hęc noſtra interpretatio probatur primò, quia Marcus non dicit, *non impediatur ab eis*, id eſt, à Venetis, vt fingitur in dicta oppoſitione; ſed ſimpliciter, *non impediatur.* Probatur ſecundò, quia ſcopus Marci in tota illa quæſtione eſt loqui de flumine, mari &c. generaliter, non ſpecialiter de Venetis, de quibus obiter & paucis collegit dictū corollarium. Probatur tertiò, quia iſta vltima clauſula optimè cohęret theſi, & nullo modo poteſt referri ad dictum corollarium. Nam hæc locutio commodiſſima eſt. Licitum eſt ædificare in mari vel littore, & efficitur incontinenti ſuum, dum tamen non impediatur nauigatio, ſtatio, portus. hæc autem locutio ferri non poteſt, Veneti ædificauerunt in mari, & ſe prætendunt in libertate, dum tamen non impediatur nauigatio, &c. Quid enim? ſi impediatur nauigatio, Veneti non ædificarunt in mari, aut ſe non prætendunt in libertate?

Pro

Digitized by Google

Probatur quartò, quia Marcus hæc non dicit ex ſe, ſed ſumit ex Cœpo.t.de mari. Nā ab illis verbis eiuſd.quæſt. 10. *Item Cœpo.in tracta. de ſeruit. præd. ruſtic.* vſque ad finem quæſtionis. tantùm refert doctrinam Cæpolæ, penè iiſdem verbis, ſed compendioſè, nempe quæ habentur apud Cœpo.titulis de montibus, de collibus, de valle, de aqua, de mari, de litore, de portu, de lacu, de fluminibus, de flumine priuato, de inſula, de alueo. Quoniam igitur verba Doctorum debent intelligi ſecundum ea quæ allegant. Bar. in l.non ſolùm. §. liberationis. num. 7. D. de liberat. cum aliis ibi citatis in add. Dom. Sal.in l.ſi ex cautione.num.18.C. de non.num.pecun.Iaſ.in l.1.num.2.D. de Iuriſdict. idem voluit dicere Marcus, quod Cœpola. atqui Cœpola hoc non dixit de Venetis, vt perſpicuè liquet ex lectione d.c.de mari. ergo neque Marcus hoc de eis dicere voluit: & verbum *ab eis*, perperam & contra mentem auctoris adiectum eſt à Valenzuela in dicta oppoſitione; quia ſicut Cœpola non reſpexit ad Doctores Venetos, ſed ad priuatos homines ædificantes in mari, ita etiam Marcus Cæpolæ ſententiam referens.

Opponit quartò auctoritatem Angeli in l prætor ait. §. prætor. num. 2. D. ne quid in loco publ. vbi dicit Venetos, Ianuenſes, & Piſanos non poſſe imponere vectigalia nauigantibus per eorum maria. Sed notandum eſt, Angelum non ſimpliciter hoc dicere, vt citatur à Velaſquez, ſed adiecta hac limitatione, *inconſulto principe.* Reſpondeo igitur primò Ange.loqui de iure ciuili,

cui Venetos non eſſe ſubditos ſuprà notaui. Reſpondeo ſecundò cum niti legibus, quibus derogatum eſt obſeruantia communi totius mundi, ſecundum Bald. in rubr. D. de rer. diuiſ. col. 1. quem ſequitur Cœpo. d. c. de mari. nu. 10. immo etiam ipſe Ange. conſ. 290. Reſpondeo tertiò cum Bal. & Cœpo. dictis locis, conſuetudinem temporis immemorialis, quam eſſe pro Venetis ſuprà probaui, habere vim conceſſionis factæ à principe. Reſpondeo quartò dictam ſententiam Angeli in iis veram eſſe, qui recognoſcunt ſuperiorem, non in iis qui nullum recognoſcunt. Franc. Marc. q. 39. par. 2. quem refert & ſequitur Tepa. tit. 48. cap. 3. Adde Salic. in l. vectigalia num. 3. C. no. vectig. inſt. non poſ. Ri. in l. ſi inſulam num. 22. D. de verb. oblig. In quorum numerò Venetos eſſe ſuprà probaui.

Opponit quintò, reges Neapolitanos ſæpe claſſem traduxiſſe per mare Hadriaticum ſine Venetorum conſenſu: ideóque Venetorum poſſeſſionem fuiſſe interruptam, conſequenter non fuiſſe ab eis mare pręſcriptũ. Reſpondeo primò, auctores, quos allegat, nihil dicere in præiudicium dictæ præſcriptionis. Reſpondeo ſecundò Sereniſſimam Rempublicam Venetam non præſcriptione aut conſuetudine, ſed occupatione acquiſiuiſſe dominium maris Hadriatici. Reſpondęo tertiò continuam Venetorum poſſeſſionem firmiſſimè probari à Chizzola, cuius probationes referuntur à Minuccio Archiepiſcopo Iaderenſi in ſupplemento hiſtoriæ Vſcochorum, pag. 29. & ſeqq.

Oppo

Digitized by Google

Opponit ſextò Bononienſes, Rauennates, & Anconitanos, Venetis contradixiſſe, adeo vt non ſemel fuerit inter eos aperto Marte pugnatum. Reſpondeo nihil mirùm, quòd aliæ Reſpublicæ magnitudini Venetæ inuidentes bellum mouerint: ſed nihilominùs Dominos Venetos ius ſuum armis retinuiſſe: quia vim vi repellere licet. l. vt vim. D. de iuſtit. & iu. Cur non addit Velaſquez Genuenſes? An quia cum Venetis tranſegerunt, & liberam maris Hadriatici poſſeſſionem eis reliquerunt? Sed idem feciſſe Anconitanos teſtatur Stracchia Iuriſconſultus Anconitanus in tracta. de nauigatione. num. 8. Iam verò cùm Sereniſſima Reſpublica Veneta in ciuitatibus, quæ incontinenti ſitæ ſunt, vt Patauio, Vicetia, Verona, de quibus non ſolùm paſſa eſt bellum, ſed etiam eas aliquando amiſit, nihilominùs dominium ſine controuerſia obtineat, quoniam eas recuperauit: quantò magis hoc dicendum eſt de iuriſdictione maritima, quam numquàm amiſit, ſed ius ſuum armis conſeruauit, & bello aggredientes, fortiter repulit?

Opponit ſeptimò, quòd *Dux Oſſunæ*, Neapolis Prorex naues & triremes optimè inſtructas miſit in mare Hadriaticum anno 1617. quibus de Veneta claſſe victoriam reportauit: atque hanc prætenſam victoriam Thraſonicè (nolo dicere Hiſpanicè) amplificat verbis ſeſquipedalibus. Reſpõdeo primò, quamuis hoc concederetur; tamen οὐδὲν πρὸς ἔπος. Romani à Carthaginenſibus ſæpe prælio ſuperati, non ſolùm dominium

ſuum retinuerunt, ſed etiam Carthaginem euerterunt. tam multa eiuſmodi exempla apud hiſtoricos extant, vt parum prudens ſit, qui ob aliquam maximam victoriam, ne dum ob exiguam, qualis eſt, quæ à Velaſquez refertur, ſuperbè & inſolenter, humanæ conditionis immemor ſe gerit. Reſpondeo ſecundò, hæc tam facilè à nobis negari, quàm temerè ab aduerſario ſine vlla probatione proponuntur. Denique contrarium verius eſſe, & claſſem Hiſpanicam fuga ſibi conſuluiſſe conſtat ex epiſtola Capitanei Alphonſi Italicè ſcripta, & edita, 27. Nouembris 1617. Hactenus ad obiectiones Io. Baptiſtæ ſit reſponſum.

Venio ad Anonymi tractatum, quem diſcurſum vocat de libertate maris Hadriatici. Titulus & operis concluſio oſtendunt eum velle oſtendere hoc mare liberum eſſe. Quod ego facilè conceſſerim. Sicut enim ædes dicuntur liberæ, quæ alij quàm domino ſuo non ſeruiunt; ſeruæ autem, quæ extraneo ſeruiunt. l. 5. D. ſi vſusfruct. petet. l. ſi quis duas. §. ſi in venditione. l. quicquid. D. commu. præd. l. altiùs. C. de ſeruit. cum ſim. ita mare liberum eſt, ſi ſolis Venetis ſeruit, in quorum dominio eſſe ſuprà oſtendi: ſeruum autem eſſet, ſi qui alij Dominis Venetis inuitis per illud nauigare poſſunt. Sed videamus, quibus rationibus conetur Anonymus iura Sereniſſimæ Reipublicæ euertere.

Initiò ponit hoc fundamentum, duobus modis iuriſdictiones acquiri, & imponi ſeruitutes: titulo conceſſo ab eo qui concedendi ius habet, & longa nō inter

ter

Digitized by Google

terrupta poſſeſſione: vt deinceps oſtendat neutro modo Venetos acquiſiuiſſe iuriſdictionem in mari Hadriatico: nam totus eius Aſiaticus diſcurſus in ſumma in hoc argumento vertitur.

Circa hoc fundamentum, noto primò non eſſe hos duos modos dumtaxat. nam alij ponunt quatuor modos & dicunt iuriſdictionem acquiri lege, conſuetudine, principis conceſſione & legitima præſcriptione. Pract. Papienſ. tit. 30. glo. 7. num. 8. Rota de offic. ordinar. deciſ. 4. num. 2. in nouis. Nos autem oſtendimus iuriſdictionem in mari Hadriatico Illuſtriſſimis Dominis Venetis competere occupatione, proinde lege, id eſt iure gentium, non cõceſſione, nec longo vſu. Dicto igitur fundamento deſtructo, totus ferè diſcurſus corruit: & fruſtra laborat Anonymus in eo probando, quod nos concedimus, neutro ex illis duobus modis, quos propoſuit, Sereniſſimam Rempublicam Venetam acquiſiuiſſe dominium maris Hadriatici. Quędam tamen quaſi per tranſennam in eo diſcurſu notemus. Ait, cùm duæ ſint poteſtates Pontificia & Imperialis ſeu Regia, (id eſt, eccleſiaſtica & Politica) neutram poſſe mutare legem diuinam, aut naturalem. Hoc verum eſt, ſed noſtræ ſententiæ ſuprà firmatæ non repugnat, quia diſtinctio dominiorum non eſt contrà, ſed præter ius naturale, ſi intelligatur ius naturale, quod eſt commune omnibus animalibus. Quòd ſi intelligatur ius gentium, vt in §. ſingulorum Inſtit. de rer. diuiſ. hæc diſtinctio & occupatio dominiorum ſine dubio eſt ſecundum

Digitized by Google

ius naturale. l. ex hoc iure. D. de iuſtit. & iu. §. ius autem gentium Inſtit. de iu. natur.

Addit neutram poteſtatem poſſe ſubditis adimere dominium rerum particularium. Hoc quoque verum eſt, ſed ad rem non facit, cùm quæſtio non ſit de dominio particulari, ſed de vniuerſali, vt expoſui in ſecunda præmunitione.

Subijcit, ſi mare lege naturæ eſt commune quod ad proprietatem, vt dicunt plures textus, inde colligi quòd ei legem imponere, terminos præſcribere, vni dare, & alios priuare, nulli poteſtati eccleſiaſticæ aut ſeculari permiſſum eſt. Falſò ſumit mare eſſe commune quod ad proprietatem, nec vllus textus hoc dicit: imò textus dicunt vſum maris eſſe communem, proprietatem nullius. l. 3. §. 1. D. ne quid in lo. pub. §. litorum. Inſtit. de rer. diuiſ. & eleganter Bal. in l. quædam. D. de rer. diuiſ. ait mare eſſe commune quod ad vſum; proprietatem verò nullius, ſed iuriſdictionem eſſe principis, de qua iuriſdictione in præſentia agitur, non de proprietate, vt ſuprà monui. Verum tamen eſt, proprietatem concedi occupanti. l. in tantum. D. de rer. diuiſ. l. ſanè. D. de iniur. quia quod nullius eſt, occupanti conceditur, vt ſuprà notaui: & mare diſtinguitur ac reſtringitur, ſicut terra. Bal. in l. beneficium. n. 7. D. de conſtit. principum.

Subiungit ciuitates maritimas habere iuriſdictionem in mari vicino. Ad quod argumentum ſuprà reſpondi: quoniam eodem vſus eſt Valenzuela. Hîc tantùm

I 3 noto

noto Anonymum ſibi contradicere : quia dum iuriſdictionem tribuit ciuitatibus, ita vt quælibet dominium habeat in mari proximo, terminos maris conſtituit, quod tamquàm iuri naturali contrarium dixerat à nulla eccleſiaſtica aut ſeculari poteſtate fieri poſſe.

Addit ex Ariſtotele in politicis mare ciuitatibus maritimis eſſe territorium, vnde ſumunt alimenta & auxilia. Sed quemadmodum in terra, ita etiam in mari quælibet ciuitas tantum poſſidet, quantum occupare, regere, ac tueri potuit. & vt in ſingulis perſonis, ita etiã in ciuitatibus & in Principibus obtinet, vt nõ ad æqualitatem arithmeticam redigantur, nec ad neceſſitatis normam; ſed alij plus, alij minus obtineant, etiam quàm ſibi neceſſarium videatur. Vnde aliæ ciuitates ab aliis iure commercij accipiũt, quæ ſibi deſunt, vt obtinet etiam in priuatis hominibus, niſi aut Lycurgi legem, aut Anabaptiſtarum hæreſim (quod abſit) amplecti velimus.

Poſt hæc probare nititur ſummum Pontificem hoc ius Venetis nec dediſſe, nec dare potuiſſe. Quod quia noſtræ ſententiæ non aduerſatur, conſultò prętermitto.

Deinde vt idem probet de Imperatore, infirmat cõmunem Doctorum opinionem, & aſſerit Imperatorem nec eſſe, nec vmquam fuiſſe totius orbis dominum : & neque Imperatorem Orientalem, nec Occidentalem poſſediſſe hoc mare, proinde non potuiſſe illud Venetis concedere. Nos idem ſentimus; ac ſuprà diximus hoc mare, quod nec Orientalis Imperator aduerſus

Bar

Digitized by Google

Barbaros tueri potuit, nec Occidentalis vmquàm poſſedit, rectè fuiſſe ab Illuſtriſſimis Dominis Venetis occupatum, & in ſuam poteſtatem redactum.

Poſt hæc vult Anonymus probare Illuſtriſſimos Dominos Venetos non potuiſſe mare præſcriptione ſeu cõſuetudine acquirere, vel ſeruitutem mari imponere ne alius armatus poſſit ibi verſari. Nos, quid de conſuetudine vel præſcriptione ſentiendum ſit, ſuprà expoſuimus. Seruitus autem dici non poteſt, vt ſuprà notaui, niſi valdè impropriè: quia nemini res ſua ſeruit. l. in re D. de ſeruit. præd. vrban. l. ſicut. §. pen. D. ſi ſeru. vindic. l. 5. D. ſi vſusfr. petet. Sereniſſima autem Reſpublica Veneta vniuerſale dominium habet in mari Hadriatico: proinde non iure ſeruitutis, ſed iure dominij poteſt alios excludere. Sed videamus quomodò probet Venetos non potuiſſe præſcribere. Lege, inquit, naturali mare quoad commercium, eſt commune omnibus: proprietate nullius eſt: nulla autem poteſtas poteſt aliquid concedere in præiudicium legum naturalium: quoniam igitur præſcriptio eſt figura tituli, cùm non poſſit poteſtas in mari Hadriatico acquiri conceſſione & priuilegio, ſimiliter non poterit acquiri præſcriptione aut conſuetudine. In his verbis noto primò hunc auctorem ſibi cõtradicere: quoniam ſuprà dixerat mare eſſe commune omnium quoad proprietatem, nunc verò ait eſſe commune ratione commercij, proprietatem autem eſſe nullius. Noto ſecundò eum malè ex dicta maris communione colligere poteſtatem in mari eſſe contra

ius

ius naturale: cùm quia communio eſt vſus, poteſtas verò eſt dominij vniuerſalis: tum etiam quia terra quoque ab initio communis fuit omnibus, vt nunc eſt apud quoſdam barbaros; non ideo tamen iuriſdictio ſingulorum Principum eſt contra, ſed potius præter ius naturale, vt ſuprà oſtendi. Hoc igitur fundamento ſublato totum Anonymi argumentum corruit.

Piget in his immorari, quæ hic auctor ſcribit, vt probet, quod nos libenter concedimus, Dominis Veneris non competere ſeruitutem in mari Hadriatico: quædam tamen in eius verbis notari poſſunt. Ait Venetos per longum tempus à tempore dictæ conceſſionis per aliquot cêtena miliaria non habuiſſe ciuitatem regno Neapolitano proximam, proinde nec territorium, conſequenter non potuiſſe acquirere ſeruitutem in mari, quod regnum illud alluit. Nos dicimus nullam conceſſionem & nullam ſeruitutem prætendi, quaſi in mari alieno. De Venetorum autem imperio audiat Anonymus; quod ſcribit Iouius lib. 1. ne plures hiſtoricos cumulem. *Paruere*, inquit, *eis ab initio, quo tempore maximè claſſibus valebant*, Iſtri, Liburni, Dalmatiæ atque Illyrici ora, multæ item nobiles Græciæ vrbes cum Eubœa Cretaque inſulis, &c. Vnde apparet eos debuiſſe ac facilè potuiſſe mare Hadriaticum in ſuam ditionem recipere.

Ait neminē poſſe ſibi ipſi præſcribere, veluti ne tranſeat per locum, in quo dominium habet: vnde infert regem Neapolitanum non potuiſſe ſibi adimere liber-

Digitized by Google

tatem armata claſſe nauigandi per mare ſuæ iuriſdictionis. In his verbis falſò ſupponit maris Hadriatici iuriſdictionem pertinere ad regem Neapolitanum. Neapolis ad mare Tyrrhenum ſita eſt, imperiumque ſuum producit vſque ad mare Hadriaticum excluſiuè, non incluſiuè.

Ait conſeruandam eſſe auctoritatem domini, qui poteſt locum ſeruitutis mutare, & alio loco, vbi minus damni ſentiat, conſtituere: idque ait Celſum dicere in l. ſi cui. D. de ſeruitut. Verùm Celſus nihil minùs ibi dicit, quàm hoc. non enim loquitur de domino fundi ſeruientis, ſed de eo, cui via legata eſt; & inquit eum poſſe ire quà velit, dummodò ciuiliter eat, non cum magno ſeruientis incommodo, ſi æquè commodè poſſit per aliam partem ire cum minore ſeruientis incommodo: non tamen poſſe, cùm ſemel locum elegerit, eum poſtea mutare.

Ait neminem eſſe, qui ignoret ſeruitutem non acquiri precibus, aut amicitia, ſed actu imperioſo vtendi iure ſuo. idque ait dicere legiſlatorem in l. 1. D. de itin. actu. priu. Atqui è contrario legiſlator ibi reprobat violentam poſſeſſionem, ſicut clandeſtinam, & præcariam. Cùm autem conſtet ſeruitutes tam in teſtamento, quàm pactionibus & ſtipulationibus conſtitui poſſe. §. vlt. Inſtit. de ſeruit. certum eſt, precibus & amicitiæ in ſeruitutibus conſtituendis locum eſſe.

Ait reges Neapolitanos ſæpe claſſem duxiſſe per mare Hadriaticum pro libitu & ibi iuriſdictionem exercuiſſe.

cuiſſe.Idem dixit Velaſquez:& ad id ſuprà reſpondi.

Ait Peregrinum lib. 1. de iu. fiſ. n. 18. & 22. hoc comprobare. Sed æquè falſum eſt, Peregrinum hoc dicere; ac falſum eſt, quod Anonymus ſtatim ſubiicit, Generalem Ziani celeriter rediiſſe Venetias, relinquentem mare ſuo vero domino.

Deinde ait dominum ſeu magiſtratum ciuitatum maritimarum ita debere punire fures terreſtres, vt Pyratas maris:hanc iuriſdictionem Imperatorem (fortaſſe Iuriſconſultum dicere voluit, reſpiciens ad l. imperium.D.de iuriſdict.) appellare gladij poteſtatem: rem autem eſſe monſtruoſam, ſi res Neapolitanus manu inermi poteſtatem ſanguinis & gladij exercere, & in ſuo territorio delinquentes ſine armis punire debeat. Nos arma concedimus regi Neapolitano in ſuo territorio, denegamus in alieno, vt Veneto, proinde denegamus in mari Hadriatico. Ad id, quod ait de ciuitatibus maritimis,ſufficienter, reſponſum ſuprà fuit.

Poſtea opponit dictum Vlpiani in l. venditor. D. commun. prædior. *Mari quod natura omnibus patet ſeruitus imponi priuata lege non poteſt*: Hinc concludit Venetos non poſſe priuata lege contra naturæ ordines imponere ſeruitutem mari Regis Hiſpaniarum & aliorum regnorum. Reſpondeo primò legem priuatam eſſe pactum contractui adiectum à priuatis perſonis contrahentibus, & ita accipi legis vocabulum in d. l. venditor, vbi ſignificat pactum venditioni adiectum, & in l. legem C.de pact. & aliis locis. Principem autem poſſe

Digitized by Google

imponere ſeruitutem mari nulla lex negat, & glo. & Fulgoſ.in d.l.venditor.& Cœpo.de ſeruit.præd. ruſtic.c. 26.de mari,num. 1. diſertis verbis affirmant. Nihil igitur vetat, quominus Sereniſſima Reſpublica Veneta ſeruitutem imponat mari, quam ſuprà oſtendi nullum adgnoſcere ſuperiorem. Nihil verò ad rem facit, quòd Rex Catholicus ſit Rex Hiſpaniarum, & aliorum regnorum; niſi oſtendatur mare Hadriaticum ſub aliquo illorum regnorum contineri.

Poſthæc Anonymus tamquàm in exceſſu, vt folia impleat qualicumque ſcriptura, narrationem quandam Thraſonicam inſerit in detractionem Dominij Veneti, laudem Neapolitanæ ciuitatis, & admirationem Regis Catholici. Sed hæc magis militi glorioſo, quàm iuris Doctori conueniunt; quæ nihil ad propoſitam quæſtionem decidendam conferunt. Bis tamen fatetur mare Hadriaticum eſſe remotum à metropoli regni Neapolitani, & à portu regię claſſis, eámque propterea non ita frequenter mitti ſolitam in illud mare,vt in proximum Tyrrhenum. Supponit autem iuriſdictionem in mari Hadriatico eſſe regis Catholici,& ait tyrannicum eſſe,vt Veneti eo inuito mare illud tueantur. Addítque Hiſpaniæ Regem debere etiam Papam, Regem Boœmiæ, Raguſæorum Rempublicam, & ducem Vrbinatem protegere ac tueri claſſe in Hadriaticum miſſa. Hæc ſunt partim ἀιτόυμενα τὸ ἐν ἀρχῇ, partim inania crepitacula, & qualia ſunt puerorum aut auium terriculamenta. Sed heus tu, Anonyme, qui omnium

Digitized by Google

omnium præter quàm Venetorum protectionem ſumis: aut illi principes tueri ſe ipſi poſſunt, aut non poſſunt. Si dicas poſſe, intellige eos non egere protectione Hiſpanica. Si neges poſſe, memineris te antea dixiſſe mare Hadriaticum eſſe remotum à portu & claſſe Neapolitana, ac reges Neapolitanos intermiſiſſe claſſis miſſionem in illud mare. Vides igitur opus fuiſſe, vt Sereniſſima Reſpublica Veneta illius maris protectionem ſuſciperet.

Poſt hanc digreſſionem, videamus, inquit, an ſaltem præſcriptione ſeu conſuetudine ius aliquod habeant. Hoc eſt, quod primo loco oſtendendum paulò antè propoſuit, & initiò quoque idem propoſuerat. Quare ter hoc proponit, ſed nullibi exequitur: quamquàm præcipuè debuit hoc probare. Dicerem eſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα, niſi iterum hoc loco repeteret: nam hoc relicto, ad aliud caput tranſit, & ait Doctores, qui Venetis in mari iuriſdictionem tribuunt, loqui de lacunis, quæ ſunt citra litus maris Hadriatici, non de ipſo mari Hadriatico: ideoque vocare mare eorum, vel mare ſuum. Quam reſponſionem quia ſuprà refutaui, & oſtendi quid per mare eorum vel mare ſuum Doctores intelligant; non eſt, cur in re tam perſpicua diutiùs immorer. Qualis enim eſt hæc interpretatio? Veneti præſcripſerunt dominium maris Hadriatici, vt multi Doctores loquuntur: ergo non præſcripſerunt niſi lacunas Clodiam foſſam vſque: intra littora maris Hadriatici. Hoc nomen, inquit, Hadriatici

legere neſcio niſi in Cæpola eorum vaſallo quòd hæc iuriſdictio perueniat Corciram vſque, quæ tunc illorum non erat: nemo hoc dicit, adeo vt hic terminus & hic finis Hadriatici ſit inuentum Hipoplatarij & Guerini Piſònis eorum vaſalli. Hæc Anonymi verba ſunt inuoluta,& ambigua.Si dicit ſe non legiſſe nomen maris Hadriatici tamquam à Venetis præſcripti: Ego verò legi,& multa loca ſuprà citaui. Si dicit ſe non legiſſe illius maris fines Corcyram vſque: ſciat omnes Geographos ita protendere mare Hadriaticum, neminem ad lacunas illud reſtringere: & ſi non ex auctoribus ſaltem ex deſcriptionibus & tabulis geographicis, quæ vulgò proſtant,hoc diſcat. Ego ex Ptolemæo geographorum principe ſuprà confirmaui fines huius maris. Videantur omnes antiquæ & nouæ tabulæ: in omnibus mare Hadriaticum ſeu gulfus Venetus eò peruenit.

Addit Doctores æquiparere iuriſdictionem Venetorum & Genuenſium. Nos facilè concedimus eandem iuriſdictionem Genuenſes habuiſſe in mari Liguſtico, ac Venetos in Hadriatico: idcirco æquè potuiſſe à Genuenſibus arceri Venetos à Liguſtico, vt à Venetis Genuenſes ab Hadriatico: niſi aliter inter ſe conueniſſent, vt refert Ange. in d. conſil. 290. Sed vtrùm Genuenſes, qui nunc videntur pendere à nutu Regis Hiſpaniæ, hác iuriſdictionem retinuerint,an amiſerint,dicere non auſim,& nihil ad quæſtionem propoſitam pertinet. Scimus enim dominia & imperia ſæpe mutari, & ab aliis ad alios transferri; quia nihil eſt ſtabile inter homines,

&

Digitized by Google

& ita immobile, vt nullam patiatur mutationem, cùm omnis noſter ſtatus ſub perpetuo motu conſiſtat, vt inquit Imperator No.7.cap.2.

Poſt hæc Anonymus expendit quoſdam iuris contextus, vt oſtendat iis non confirmari præſcriptionem maris. Et quamuis noſter labor hîc videri poſſit ſuperuacaneus, cùm nos dicamus præſcriptione acquiſitum Dominis Venetis mare Hadriaticum; tamen diſpiciamus, an hos textus Anonymus rectè interpretatur, & ad eos rectè reſpondeat.

Citat l ſanè.D.de iniur. vbi dicitur, *Si maris aliquod ius ad aliquem pertinuerit*. Ait Anonymus hoc videri contrarium axiomati ſuprà à ſe tradito quod mare iure naturali eſt omnibus commune, ideoque non poteſt alicuius proprium fieri. Nos dicimus nullam eſſe contrarietatem, cùm dicitur ea, quæ iure naturali communia ſunt, iure gẽtium eſſe diſtincta & alia aliorum propria facta. Non igitur abſurdè dicitur quod commune erat, proprium factum eſſe: Quædam tamen communia manſerunt, vt aër, mare, & litora maris. Sed & horum pars propria facta eſt: nec tantùm maris, & litorum, vt ſupra probaui, ſed etiam aëris: ſiquidem dominus ſoli dicitur eſſe dominus aëris vſque ad cœlum, vt probat glo. in l. altiùs.C.de ſeruit.

Addit Anonymus dictum textum eſſe intelligendum de iure piſcandi, aut ſimili parum damnoſo Reipub. propter maris vaſtitatem, & quod non eſt contra publicum commercium. Huic interpretationi repugnat vulgata

gata regula,quòd lex generaliter loquens, debet generaliter accipi.l.præſes.ff.de offic.præſid.cum concor.Nec ad rem facit, quòd in l. præced. agitur de iure piſcandi; quia illa lex eſt Vlpiani, hæc eſt Pauli, & ſi placet hanc illi adiungere, ſecundum aliam regulam continuatio debet fieri ad proximum.l.2.ff.de ſta.homi.in poſtremis autem verbis legis præcedentis Vlpianus locutus eſt de lacu,qui eſt in priuato alicuius dominio:Ergo ſimiliter Paulus loquitur de parte maris, quæ eſt in alicuius dominio.Illud igitur mare proprium eius eſt. Neque hoc eſt abſurdum;ſicut enim litus, quod eſt commune, occupanti conceditur. l.6. in pr. D. de rer. diuiſ. ita etiam mare eadem ratione.Ceterùm non negarim, cum d.lex ſanè.loquatur de hominibus priuatis,& de cauſa priuata,vt in textu expreſſè dicitur,non poſſe ita occupari in præiudicium publici commercij,ſed alia ratio eſt principum, qui commercium cum non ſubditis pro libitu vel admittunt,vel repudiant,vel limitant, vt l. 2. l. mercatores.& l.vlt. C.de commerc. & mercatorib. Nota eſt lex ξενηλασίας, qua hodie quoque Chinenſes vtuntur.

Idem dicendum ad l.ſi quiſquam.D.de diuerſ. temp. præſcript.vbi Anonymus notat verbum *diuerticulum*, & ait non poſſe aliquid fieri in præiudicium publicæ nauigationis,quæ omnibus patere debet, l.1. D. de fluminib.Nos dicimus nauigationem non poſſe impediri per aliquem priuatum, vt d. l. poſſe tamen per principem, qui habet regalia,vt notat Straccha. de nauigat.num.6.

Poſt hæc Anonymus ſic argumentatur: Imponens

ſerui

ſeruitutem mari, tantùm ſe & heredes ſuos obligat vi contractus.l.venditor. D.comm. prædior.atqui regnum Neapolitanum non defertur iure hereditario, ſed ex pacto & prouidentia, ſecundum Bal. in auth. poſt fratres.C.de legit.heredib.ergo ſiue pater hanc ſeruitutem Venetis conceſſerit, ſiue Veneti contra patrem vſurpauerint, hodie filius regnans poteſt iuriſdictionem in mari auferre, & Venetis reſiſtere. Reſpondeo primò Anonymum in hoc argumẽto falſum ſupponere, quòd iuriſdictio maris Hadriatici pertinuerit ad regem Neapolitanum,& ei per Dominos Venetos adempta fuerit. Reſpondeo ſecundò,quod dicitur de heredibus,paſſim in iure intelligi de omnibus ſucceſſoribus vniuerſalibus:quia loco heredum habentur vt bonorum poſſeſſores l.2.D.de bonor.poſſeſſ. & fideicommiſſarij vniuerſales:§.reſtituta.Inſtit. eod.tit. Vnde nihil referre videtur, vtrùm iure hereditario, an ex pacto & prouidentia rex Neapolitanus ſucceſſerit. Omitto,quòd hæc feudi diuiſio in hereditarium & ex pacto & prouidentia ab aliis aliter accipitur,& à quibuſdam omninò reprobatur, vt à Fachinæo lib.7.controuerſ cap.3.Omitto etiam,quòd Bal.d.auth.poſt fratres.de hac re nihil dicit.

Deinde opponit,quod ait glo.in d.l.venditor.in ver. ſuccedentium, conceſſione aut præſcriptione rerum publicarum non poſſe communem vſum impediri: & ſubiicit eiuſdem gloſſæ verba iſta, *Si cõcedo tibi ſeruitutem, per quam publicus vſus non impeditur, tunc ego ſaltem & heredes mei tenemur non contradicere.* Et addit alium textum

Digitized by Google

probare pacta de rebus publicis non ligare. l. iuriſgentium.§.ſi paciſcar. D.de pact. vnde colligit Venetos aut Genuenſes non poſſe publicum commercium impedire. Audi Anonyme: ego & tu (nam de me & te gloſſa à te allegata loquitur) non ſumus principes,ſed homines priuati.de me ſcio:de te credo.Accurſ.& dicti textus loquũtur de perſonis priuatis, quę nec poſsũt iuri publico derogare,nec iuriſdictionem in mari præſcribere. Sed ſupremos principes hæc poſſe certiſſima& receptiſſima Doctorum ſententia eſt. argumentum autem à priuatis ad principes, id eſt à minori ad maius, negatiuè non concludit. Idcirco glo. in d. l. venditor. in ver. priuata. quam Doctores ſequuntur,rectè notat, quamuis ſeruitus mari priuata lege,id eſt pacto imponi non poſſit, à principe tamen poſſe.

Idem dico de ſequenti argumento, Ire per loca publica,& ſimilia,ſunt merę facultatis,nec poſsũt præſcribi.Hoc quoque pertinet ad ius priuatum. Singuli poſſunt ire per vias publicas, non iure præſcriptionis, ſed iure communi, quia viarum vſus publicè patet. Hoc ad propoſitam quæſtionem nihil facit.

Tandem Anonymus ait eorum, quæ ſunt iuriſgentium,non dari præſcriptionem, ſed ea acquiri conſuetudine, ſecundum Bart. in l.quo minùs. D. de flumin. Hanc differentiam ordinariè notari à Doctoribus præſertim à Balb. de præſcriptionib. 2.par.quartæ partis prin. quæſt. 6. dicente conſuetudine reſpublicas fieri proprias ſine damno vniuerſitatis;præſcriptione autem

ali

Digitized by Google

aliquem acquirere id quo alterum priuauit. Hic noto primò Bart.d.loco non id dicere, ad quod probandum allegatus eſt:ſed, ea quæ ſunt iuris gentium,acquiri ſtatim per occupationem, velùti ſi quis in mari aut litore maris ædificet.Noto ſecundò alias quoque differentias àDoctoribus poni inter præſcriptionem & conſuetudinem,vt videre eſt apud auctores ſuprà citatos.

Nihilominùs tamen hæc vocabula ſæpe confunduntur;vt ſuprà oſtēdi. Noto tertiò ad id quod Anonymus hoc loco probandum ſibi proponit,nihil referre,vtrùm vocetur conſuetudo, an præſcriptio: quia certum eſt vtramque requirere continuam, non interruptam poſſeſſionem: Quod autem talis non fuerit Dominorum Venetorum poſſeſſio nititur probare; quia ſæpe claſſis Regis Neapolitani per mare Hadriaticum tranſiit,vt ait hiſtoricos quoſdam dicere,non facta mentione conſenſus vel diſſenſus Venetorum. Reſpondeo argumentum ab auctoritate negatiuè conceptum non valere: nam multa aliqui hiſtorici omittunt, quæ alij tradunt, quod & in ipſis Euangeliſtis obſeruare licet. Si igitur hiſtorici ab Anonymo citati hoc omittunt: aliæ hiſtoriæ docent conſenſum Illuſtriſſimorũ Dominorum Venetorũ ab aliis priincipibus claſſem per mare Hadriaticum dirigere volentibus fuiſſe ſæpiùs requiſitam, vt euidenter probat Chizzola apud Minuccium loco ſupra citato.

Ex dictis concludo iuriſdictionem ſeu dominium vniuerſale in mari Hadriatico omninò pertinere ad

Digitized by Google

Sereniſſimum dominium Venetum : & quidem κατ' ἀλήθειαν per eius occupationem, καὶ δόξαν longa conſuetudine ſeu præſcriptione temporis, cuius initij memoria non extat:eiuſque dominij effectus eſſe,quos ſuprà retuli.

F I N I S.

Digitized by Google

IVLII PACII IN Venetiarvm laudem

EPIGRAMMATA.

I.

LAtonæ excipiens geminum vetus inſula partum,
    Fluctibus & vento eſt pulſa,repulſa diu.
Vrbs procul à pelago,ſeptem quæ continet arces,
    Condita quo primùm eſt, tempore, firma fuit.
Hadriacis verò , potuit, quæ regnat in vndis,
    Non concuſſa vnquàm,ponere iura mari.
Ergo vrbs,ſeu potiùs dicenda eſt inſula,certè
    In terra atque ſalo non habet illa parem.

EIVSDEM.

II.

EXtructas Babylon turres,& mœnia iactat.
    Sparta viros præfert , militiæque decus.
Legibus,atque armis,populos atque arte gerendi
    Produxit vires Martia Roma ſuas.
At VENETAM pietas ſuper omnes extulit vrbes:
    Quippe Dei templum eſt: oppida ſunt reliquæ.

PERMISSION.

IE conſens pour le Roy, l'Impreſſion du preſent liure eſtre fait par Sieur BARTHELEMI VINCENT *Marchant libraire de ceſte ville de Lyon, & deffences faictes à tous autres de l'Imprimer ſur le requis de droit. Faict à Lyon ce 19. Ianuier 1619.*

BOVILLOVD.

IL eſt permis d'imprimer ce preſent liure aux deffences requiſes. Faict ce 22. Ianuier 1619.

SEVE Lieutenant general.

Digitized by Google

BREF DE PRIVILEGE.

PAr grace & Priuilege du tres-Chreſtien Roy de France & de Nauarre, il eſt deffendu à toutes perſonnes, d'Imprimer, vendre, diſtribuer, ny tenir le liure intitulé IVLII PACII *à Beriga de Dominio maris Hadriatici diſceptatio*, d'autre impreſſion que celle qui aura eſté faicte par le vouloir & conſentement dudict ſieur PACIVS, & ce pour le temps de dix ans, à commencer depuis le iour qu'il ſera acheué d'imprimer, à peine de confiſcation des exemplaires, dommages & intereſts, & autres peines portees par iceluy, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & lettres à ce contraire. Donné à Paris, & deüement ſeellé les iours & an y contenus.

Signé LOVYS.

Et plus bas CHALOPIN.

Ledict ſieur PACIVS a cedé & tranſporté au ſieur BARTHELEMY VINCENT le ſuſdict Priuilege, ainſi qu'appert par acte du ſeptieſme Feurier 1619.

Acheué d'Imprimer le 24. Feurier 1619.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA